



1769, 7. 25

F E V D A  
FRANCA NON ESSE  
FEMININA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

HENR. GODOFREDO BAVERO

IVR. VTR. ET BONAR. ARTT. D. INSTITVT. P. P. O.  
SVPR. CVR. PROVINC. ET COLLEG. ICTOR. LIPS.  
ASSES. COLLEG. MINOR. PRINCIPP.  
COLLEG.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XIII APRIL. A. G. CIOIOCCCLXIX.

DISPVTANDO TVEBITVR

IOANNES CHRISTIANVS ROST

DRESDENS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEIMIA



F. E. V. D. A.  
T. R. A. N. S. A. K. O. N. E. S. S. E.  
T. E. M. I. N. I. A.  
I. L. L. I. C. I. T. A. T. I. O. N. E. M.  
C. O. N. S. E. N. T. I. A.  
C. O. N. T. R. A. T. U. S. I. D. E.  
H. E. R. C. O. D. O. R. I. C. O. B. A. V. E. R. O.  
I. N. T. E. R. I. M. U. N. I. T. A. T. I. O. N. E. M.  
C. O. N. T. R. A. T. U. S. I. D. E.  
D. I. S. T. R. I. C. T. O. T. U. M.  
I. O. A. N. N. E. S. S. E. T. I. A. N. S. R. O. S.  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
L. I. T. E. R. A.  
E. X. O. F. F. I. C. I. A. T. I. O. N. E. M.





I. N. D.

DE FEVDIS FRANCIS NON  
FEMININIS.

---

§. I.



Constat inter omnes, recte cum Conringio, Stru-  
uio, Thomasio, aliisque, Germaniae antiquae  
tribuunt, aut aliunde petant, vel somnient  
potius feudorum originem, fuisse ea ab initio  
militum salaria, dicta hinc beneficia, partim propter pecuniae  
raritatem, partim propter hominum infrequentiam, partim  
denique, integrioris fideli excitandae ergo, constituta. Et haec  
ipsa feudorum destinatio insignem circa feminarum succes-  
sionem in clientelis peperit errorem. Quum enim viros ar-  
ma,

*De ratione  
constituendo-  
rum feudo-  
rum.*

A 2



*Ex qua multi  
collegerunt,  
feuda franca  
esse feminina.*

*Rationes, qui-  
bus ii videntur,  
recensentur.*

ma, et alius generis publica officia, solos deceant, feuda, a quibuscunque, bellicis aequè seruitiis, ac aulicis, immunita, franca dici solita multi existimarunt ex communis beneficiarii iuris ratione ad filias non minus, quam filios, pertinere. Quos inter CASP. HENR. HORNIVS in *Dissert. d. Feud. franc.* §. 26. potissimum nominandus est. Sententiae suae rationes has reddit. Naturam feudorum hanc esse, vt militet vasallus, ob eamque rem vir, non femina, feudali vinculo contineatur. Hinc, cessante obligatione illa, nihil feminarum successioni obstare. Et quanquam feudum in vno improprium exinde in aliis improprium nec debeat esse, nec praesumi regulariter patiatur, limitandam tamen hanc regulam in iis esse, quae ex posita improprietate necessario consequantur. Ad stipulari huic ratiocinio *Cap. II. Feud. 36. et Cap. II. Feud. 104.* illud confirmare. Extraordinaria enim capitula, tacentibus ordinariis, componendis feudilibus controuersis suppetere. Potiusque his non leuibus argumentis, filiabus non franca solum feuda, verum etiam conditionata, modo conditio sit eiusmodi, quam adimplere possit, verbi causa censualia, cedere debent.

## §. II.

*Verum natu-  
ra feudorum  
contrarium  
probat.*

At enim vero longe grauiora, partim iam ab aliis dicta, ex quibus nominasse sufficiat IOH. SCHILTERVM in *Tractat. de Nat. Success. Feud. Cap. II. §. fin.* partim ex ipsa re petita, huic opinioni aduersantur, et, quominus curate satis cogitantes sibi eam persuaderi patiantur, impediunt. Nemo facile arbitratus fuerit, rei naturam ex eius origine et natalibus posse cognosci. Quo videlicet assumpto nulla emittia, oblata nulla, nulla etiam franca, et conditionata, quin ad filias transitoria, feuda admittere potest clientelaris iurisprudentia. Fuerunt quippe, quod vidimus, ab initio militantibus, loco salarii, destinata. Quale vero



vero beneficium est, quod pecunia quaesiuisti? Quo beneficio auctus videri potes, si domini tui partem alteri donas? Quale praesidium in milite non militante, eoue, in cuius defuncti locum inermis puer surrogatur? Res ipsa loquitur. Prima feuda fuerunt stipendia, hinc ex arbitrio domini reuocabilia. Ex quo vero frequentiora facta, et aucta vasallorum potestas, mutata fuit rei facies, consuetudinibus, ac dein legibus, ipso instituto longe recentioribus, munita, quae filiis beneficia a patre accepta tribueret, et confirmaret. Quod quomodo contigerit, ex *cap. I. Feud. r.* intelligimus.

## §. III.

Tam imminuta dominorum iura eos docuere, studiosius quae supererant, conseruandis inuigilare. Perstitit igitur haec natura feudorum, vt sola filiorum successio esset. Non enim sola incirtia mulieres, et inhabilitas, a beneficiis paternis arceret, verum domini praesertim vtilitas, in recipiendi beneficii sui plenique domini recuperandi spe, collocata. Qua de re si quis dubitare forsan propterea possit, quod subeat regula iuris, principum beneficia (nouimus enim, primam feudi appellationem fuisse beneficii) plenissimam exigere interpretationem *l. 3. D. d. Constitut. Principp. cap. 16. X. d. V. S.* cogitet, peculiaris esse clientelis iura constituta, nec Principes in iis, verum contrahentes, quibus donandi animum affingi non posse accepimus. Intueatur praesentem clientelarum formam, pecuniamque in militis locum surrogatam. Atque vel, reclamante curiarum obseruantia, filiarum hodie in omnibus iis, quae hostenditias (*Ritterpferds-Gelder*) praestant, defendere successionem debet, vel, a vero aberasse HORNIUM, concedere.

*Eiusdem argumenti continuatio.*



*Quod etiam  
feuda propria  
hodie demon-  
strant.*

Etenim non solum nullus hodie pater filiabus ad paternum beneficium aditus, si concessum sit vasallo eiusque masculae proli, sed nec meliori iure vtuntur, si vel generalis hereditum appellatio in primae inuestiturae litteris obuenerit. Idque, quia spem aperturae mulier minuit, et heredes tales intelligendi, quales natura negotii postulat. Cur diuersa esse debeat francorum feudorum conditio, non intelligo, si nemo quidem pecuniae praestandae virum magis idoneum, quam feminam putauerit. Igitur ista necessaria consequentia, quam sibi videtur HORNIVS inuenisse, amica ista franci et feminini feudorum conspiratio euanescat, et rite iudicantium oculis plane fugiat, oportet. Diuersa sunt, nullas operas exigere, et ad rem viris destinatam etiam feminas admittere. Ab vno autem diuerso ad alterum consecutionis filum duci nequit. Et quoniam quaelibet feudorum improprietas, prouti lucrum vasalli respicit, seniori damno vergit, inprimisque, quod vidimus, feminarum successio nocet, atque donandi animum non temere alicui affingere iura patiuntur, non video, cur a regula, quae feudorum improprietas strictissime interpretari iubet, in hoc loco recedere liceat.

## §. V.

*Etiam essen-  
tia feudorum  
quodammodo  
feminis ad-  
versatur.*

Accedit, feudi franci possessorem non ab omnibus officiis immunem esse. Nullum quippe, quibuscunque priuilegiis munitum, feudum esse sine fide potest. Quae principem inter essentielles eius partes locum tenet, iniurans beneficiis cum iuratis communis, a domino et vasallo sibi inuicem vicissim exhibenda, II. Feud. 3. in fin. et II. Feud. VI. Docemur etiam II. Feud. V. segg. quae officia inprimis ex hac feudali fide consequantur. Quantum videlicet positum in vasallo, oblataque ei occasione, dominum incolumem, tutum, honestumque praestare, quauis ratione vtilitatem eius promoue-





**mouere.** Quis non etiam his praestandis, licet francum sub-  
sit feudum, mulieres, si non plane impares, certe non aequae,  
ac viros, pares existimauerit. Quas hoc inprimis, iure, an  
iniuria, diiudicandum aliis relinquo, antiquissimo abhinc  
tempore, premit opprobrium, natura sua garrulas, et loqua-  
ces esse. Ob eamque causam Illustris HOMMELIVS in  
*Praelectt. (Academischen Reden.) ad MASCOVIUM Cap. XIV.*  
*§. 18.* Plauti et Glossatoris cuiusdam secutus auctoritatem,  
inprimis eas feudali obligationi suscipiendae incapaces autu-  
mat. Est enim hoc quoque inter cuiusuis vasalli officia, ex  
feudali fide promanantia, a domino sibi concredita suo pe-  
ctore clausa seruare. Contra quod peccantem, credentiam  
domini manifestasse, feudistae dicunt.

## §. VI.

Sufficere haec abunde possent, sententiae nostrae con-  
firmardae. Sed nec plura desunt. Illustris HOMMELIVS  
in *cit. lib. ad Cap. III. §. 45.* inprimis ad ius antiquum, ex  
quo fere nullus feminis ad allodiales terras aditus patuit, in  
probanda hac nostra thesi prouocat. Quod solum, aliis etiam  
plane deficientibus, suppetere contendit. Cui sententiae ex  
asse subscribo. *Lex Salica tit. 62.* a successione in terras filias  
omnino arcet. *Lex Anglor. et Werinor. tit. VI. §. 1. et 8.* eas  
agnatis vsque ad quintam generationem postponit. Et quan-  
uis *Lex Sax. Tit. VII. §. 1. et 5. Lex Ripuariorum Tit. 56.*  
*§. 3. Lex Alemannor. Tit. 58. Lex Burgundion. Tit. 14. §. 1.*  
aliaeque, mitius cum filiabus agant, ad vnam tamen omnes  
nullum, nisi filiis deficientibus, locum iis in terrarum succes-  
sione tribuunt. Multoque adeo minus olim in feudis, mili-  
tiae ergo, conseruandique familiae splendoris, praecipue con-  
stitutis, remissis etiam aulicis, militaribus, aliisque officiis viri-  
libus, potuerunt admitti. Hodie vero, quanquam haec  
omnia mutata, quanquam paria ex Iuris Romani dogmati-  
bus

*Nec non anti-  
qua allodio-  
rum natura,*



bus in allodiis iura mulieribus reddita, eadem perficitur clientelarum natura, quod, prout supra monui, feuda propria, licet militares operae in pecuniariam abierint praestationem, per se demonstrant.

## §. VII.

*Refutantur  
argumenta ex  
Capp. II. F. 36.  
et 104. petita.*

Supereft, vt argumentum, ex *capp. 36. et 104. II. Feud.* petitum, refellam. Agnosco, in priori capitulo causam, ex qua feminarum successio in feudis exulet, in eo collocari, quod beneficium feruire, id est merere, non valeant. Ita iudicat compilator, homo ignotus, qui propter dicendi genus inconcinnum nomen suum tacere satius duxit, quemque *CYIACIVS* sine solida ratione *Obertum* ab *Orto* dicit. De consuetudine vero, quae mulieres in feudis francis admittat, neque testatus est, neque, procul dubio, testari potuit. Verunt, solam interpretationem, et iudicium eius, qui sua sponte, non Principis iussu, consuetudines quasdam congerit, ius facere non posse, quis quaeso dubitauerit. Istius vero *Cap. 104.* plane nullam esse fidem et auctoritatem, prout reliquorum omnium extraordinariorum, si rationi iuris beneficiarii, quod in re praesenti mihi videor probasse, reluctantur, facile omnes largiuntur, testaturque *SCHILTER.* de *Nat. success. Feudal. Cap. II. §. 20.* simul aliorum vsus testimonius.

## T A N T V M.



ULB Halle

003 594 440


3



*SB*







1769, 7.<sup>25</sup>  
F E V D A  
FRANCA NON ESSE  
FEMININA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

HENR. GODOFREDO BAVERO

IVR. VTR. ET BONAR. ARTT. D. INSTITVT. P. P. O.  
SVPR. CVR. PROVINC. ET COLLEG. ICTOR. LIPS.  
ASSES. COLLEG. MINOR. PRINCIPP.  
COLLEG.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XIII APRIL. A. C. MDCCCLXIX.

DISPVTANDO TVEBITVR

IOANNES CHRISTIANVS ROST

DRESDENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEIMIA